

---

**De Sophoclis Fabularum Apud Suidam Reliquiis (Latin  
Edition)**

**Kausch Wilhelm**


---

**Title: De Sophoclis Fabularum Apud Suidam Reliquiis (Latin Edition)**

**Author: Kausch Wilhelm**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**









DE  
SOPHOCLIS FABULARUM, APUD  
SUIDAM RELIQUIIS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSEIT

GUILIELMUS KAUSCH


POMERANUS.

2

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSEIT E. KARRAS.

MDCCLXXXIII.



16

THE BUREAU OF

INTERNAL SECURITY

MEMORANDUM FOR THE DIRECTOR

FROM: SAC, [Redacted]

SUBJECT: [Redacted]

1. [Redacted]

2. [Redacted]

3. [Redacted]

ADMINISTRATIVE

DATE: [Redacted]

BY: [Redacted]

[Redacted]



*Handwritten scribble or mark.*

1. KAUS
2. SCH






1950

RECEIVED FROM THE OFFICE OF THE  
DIRECTOR OF THE BUREAU OF REVENUE

[The remainder of the page contains extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document.]




~~6932.310~~



*Constantius fund.*

6932.310



§ 1. Bernhardy in praefatione Suidae editionis p. XXV. recte ait illius lexico neminem carere posse, qui artem criticam imprimis in poëtis Atticis, quorum permultos locos ille affert, facitet. Nam etsi omnino constat etiam ex antiquioris temporis libris, in quibus veterum scriptorum loci citati sunt, ad textum codicum emendandum non multum nos proficere neque exemplaria, quae illorum scriptorum in manibus erant, fere meliorem textum quam nostros libros praebuisse, ne dicam multos locos citandi negligentia et memoriae lapsu corruptos esse, tamen plurimi interest ad rectam codicum nostrorum recensionem, ut ii loci, qui apud alios scriptores citati inveniuntur, colligantur et cum librorum scripturis comparentur. Excepto autem uno Aristophane comico, quem tribus milibus quadringentis uno locis Suidas in lexico suo citat eiusque plus quinque milia versuum ex undecim fabulis affert, neminem crebrius lexicographus laudat quam Sophoclem neque ullius poëtae tot versus enotavit saepe additis scholiastae explicationibus, ut dilucide appareat illi poëtae librum scholiis instructum in manibus fuisse, unde, quae apta ei videbantur esse, in thesaurum suum transtulit. In indice enim Gaisfordiano cum sub Aeschyli nomine una et triginta glossae enumeratae sint, quae ad eius locos spectant, et Euripidis una et octoginta, sub Sophoclis nomine fere octingentas et octoginta inuenies et inter eas octingentas viginti unam, quae ad eas fabulas pertinent, quae ad posteritatem propagatae sunt.<sup>1)</sup> Ex iis circiter mille et centum nonaginta versus ab illo afferuntur, ut videamus

<sup>1)</sup> Aliorum scriptorum enumerationem vide apud Büngerum: „De Aristophanis Equitum, Lysistratae, Thesmophoriazusarum apud Suidam reliquiis.“ Diss. Argentorat. 1878, p. 5.

Suidam hunc poetam diligentia quadam tractasse. Suidas autem, quod Bentleius, Phalar. p. 199, Bernhardy, praef. p. XXVIII aliique viri docti investigaverunt, opus suum composuit medio vel exeunte saeculo decimo, unde sequitur eum vetustissimum Sophoclis codicem Laurentianum aetate superare et illo antiquiorem librum usurpasse. Itaque suo iure Sophoclis editores, ut Brunck., Erfurdt, Hermann, Dindorf, Lobeck, Blaydes aliique diligenter Suidae lectiones adnotaverunt et respexerunt. Etiam Suidae editores Portus, Küster, Gaisford, Bernhardy aliique, qui eius lexico operam navaverunt, accurate notaverunt locos, qui a Suida ex Sophocle sumpti sunt. Omnes illius glossas e Sophocle eiusque scholiis depromptas colligere coepit J. G. C. Hoepfner in libello, qui inscribitur: „Neues Magazin für Schul-lehrer“ (ed. Ruperti et Schlichthorst. Goettingae 1792), neque vero ultra glossas. quae sub litera A leguntur, progressus est. Multum quidem ex illis non lucratur. Nam in Dindorfii editionis Oxon. vol. I p. XV, ubi enumerat locos, quos ‘ex aliorum grammaticorum scriptis locos Sophocleos afferentium emendare licet’, Suidae nomen sexies invenitur. Et ne his quidem sex locis omnes editores Suidam secuti sunt. Etiam de scholiis Bernhardy praef. XLVIII ait raro accessionem paulo maiorem se adnotasse. Quamobrem aliquis dixerit vix operae pretium esse hunc laborem me suscipere, ut textum et scholia, quae in Suidae lexico occurrunt, cum Sophoclis libris comparem. Nam in universum quidem viri docti iam de ea re disseruerunt, et ex scholiis, quae apud Suidam leguntur, Dindorfius in scholiorum editionis Oxon. volumine II omnia fere, quae commemoratione digna sunt, adnotavit. Nihilominus res mihi non indigna visa est, quam, quantum pro viribus meis possum, ita retractem, ut continuo accurate omnia, quae ex Sophoclis exemplari a Suida deprompta videntur esse, percenseam et cum libris nostris comparem et virorum doctorum adnotationes passim dispersas, quae ad hanc rem pertinent, colligam et proponam. Quod ita instituum, ut in priore dissertationis parte de textu, qualis apud lexicographum legitur, agam, in posteriore de scholiis.

§ 2. Priusquam autem ad rem ipsam accedam, pauca de codicibus et Sophoclis et Suidae praemittam. Codex poetae optimus et vetustissimus Laurentianus scriptus est saeculo